

oecumenicas se recipere proficetur, dicto anathemate illi, qui eas non recipit: ergo. R. N. Ant. Omnibus enim notum est, quantum SS. Pontifex egerit, ut hoc V. Concilium ubique reciperetur. Ad Probat. Sic egit S. Gregorius ex prudenti oeconomia; prius enim Constantio Episcopo Mediolanensi direxerat litteras pro Regina, in quibus V. Synodum honorifice commendabat. Has litteras non reddidit Constantius, & significavit summo Pontifici, quod Regina, trium Capitulorum condemnationi contraria, commendatione V. Synodi offendebar. Alias rescriptis S. Greg. in quibus prudenter silit de V. Synodo, ne Regine animum magis exacerberet, volens eam ratione potiusquam auctoritate vincere (quod tandem obtinuit) tunc praesertim eum nondum omnium consensu esset recepta V. Synodus, & de ejus auctoritate adhuc disputabatur.

Obj. 3. Salmem negari non potest, quin Vigilus Papa admodum variaverit in causa trium Capitulorum, eaque modo approbaverit, modo damnaverit: ergo non est irretractabile Judicium Ecclesiae circa facta dogmatica. R. Vigilum nunquam tria Capitula quoad sensum obvium textum approbasse, quod est proprie factum dogmaticum; sed tantum variasse circa personas, utrum scilicet persona Theodori defuncti deberet anathematizari, & scripta Theodoret, & Ibe sub eorum nominibus deberent damnari. Haec autem variatio non fuit inconstantiae, sed prudentis oeconomiae, ut patebit ex serie gestorum Vigilii.

Primo itaque Vigilus se opposuit Edicto Justiniani, condemnantis tria Capitula; tum quia non erat Imperatoris res Ecclesiae, & fidei dirimere; tum quia hujus Edicti Auctores erant Eutychniani, seu Acephali, mediante Theodoro Casariensi, ut sic facilius detrahere possent auctoritatem Concilii Chalced. in quo fuerat damnatus Eutychnes. Deinde Vigilus in suo *Judicatio* damnavit tria Capitula, ut perveniret Schisma in quod propendebant Orientales, nisi horum Capitulorum damnationi subscriberet Pontifex. Addidit tamen prudenter, *Salva in omnibus auctoritate Concilii Chalcedonensis*; partim ne irritaret Occidentales, qui timebant ex hac censura minui auctoritatem Concilii Chalced. partim ut reprimere Acephalos, qui ea censura abutebantur ad detrahendum eidem Concilio. Postea Vigilus recusavit damnare ea Capitula in Synodo cum solis Graecis, quin imò edito *Constituto* ea vindicavit: non quidem sic, quod ea absolute, & secundum se spectata pura, & orthodoxa definerit; in eodem enim constituto 70. capita Theodori damnat, & alia, quae in scriptis Theodoret, & Ibe possunt occurrere orthodoxae fidei minus congrua; sed hoc sensu, quod vetaret, ea damnari expressis nominibus Auctorum: idque totum prudenter, ne scilicet offenderet Occidentales, sine quibus Graeci contra pacem, ad hujus causae discussionem processerant; quique propter auctoritatem Concilii Chalced. trium Capitulorum damnationi refragabantur. Tandem, eadem semper oeconomia, & prudentia usus Vigilus sex ceteris mensibus post peractam Synodum, eam probavit, & tria Capitula expressis Auctorum nominibus damnavit, ut Orientales a schismate, in quod propendebant propter recusantem hujus Synodi confirmationem, retraheret; & quia actis V. Synodi palam omnibus, & aperte erat demonstratum, hac Capitula potuisse sic damnari, absque ulla Synodi Chalced. injuria. Adde pro clausula, causam trium Capitulorum non solum non nocere conclusioni nostrae, sed e contra praebere illi invictissimum argumentum. Etenim Occidentales trium Capitulorum defensionem non susceperunt, neque eorum damnationi diu resisterunt, nisi quia existimabant, ea fuisse probata in Concilio Chalced. cujus judicium infallibile retractari non posset. Neque ab eis in hoc ultimo dissentiebant Orientales, sed volebant tantum, ea non fuisse probata in Concilio Chalced. quod multis ostendunt in actis V. Synodi. Una ergo erat omnium, & Occidentalium, & Orientalium sententia, Ecclesiam in definiendis factis dogmaticis esse infallibilem.

CONSECTARIUM.

De Apellatione a Constitutione Unigenitus ad Concilium Generale futurum.

Supposita infallibilitate, non summi Pontificis, a qua nunc abstrahimus, quia eam non agnoscent ii, contra quos hic agimus, sed Ecclesiae, in controversiis fidei, & factis dogmaticis definiendis, quam in duobus Articulis praeced. asserimus; sequitur, non esse licitum appellare a Constitutione Unigenitus Clementis XI. damnan-

101. propositiones Paschalis Quoesnel, ad futurum Concilium generale; quod hoc brevi, & patenti argumento probatur.

Non est licitum appellare a judicio infallibili, & irreformabili; atqui Constitutio Unigenitus est judicium infallibile, & irreformabile: ergo. Prob. Min. Constitutio Unigenitus est judicium Ecclesiae; atqui judicium Ecclesiae est infallibile, & irreformabile in dogmatibus, & factis dogmaticis definiendis, ut late probavimus in duobus praecedentibus articulis: ergo. Prob. Maj. Ecclesia universa Constitutionem Unigenitus accepit, & acceptando fecit suam: ergo. Ant. constat, 1. ex ipso Clemente XI. qui in Litteris Pastoralis officii dicit: *Quam* (Constitutionem) *universa Ecclesia veneratione debita complectitur.* 2. Ex testimoniis omnium fere Ecclesiarum totius Europae, Italiae, Siciliae, Venetiarum, Genuae, Pedemontii, Sabaudiae Germaniae, Belgii, Bohemiae, Hungariae, Poloniae, Hispaniarum, & Portugaliae, Academiarum, Salmanticensis, Lovatienensis, Coloniensis, Duacense, Conimbricensis, &c. Extant autem haec omnia testimonia in Institutione Pastoralis Eminentiss. Card. de Bissy Tom. 3. in Institutione 2. Illustriss. D. Lanquet tunc Episcopi Suesionensis, nunc Archiep. Senonensis; & in opere, cui titulus: *Refutation du memoire public en faveur de l' Appel des quatre Eueques*, approbante Eminentiss. Cardinali d'Alsace, Archiepiscopo Mechlinensi. Quantum ad Galliam, ubi questio mota est, 110. Episcopi hanc Constitutionem acceptarunt, 10. recusarunt: & 4. tantum ad futurum Concilium generale appellarunt. Ex Academicis 24. in eodem Regno, tres tantum, Parisiensis, Rhemensis, & Nanetensis acceptationem prius factam revocant: ergo.

Mirum est, quot effugia excogitaverint Appellantes, ut vim hujus argumenti eluderent. Igitur.

Dicunt 1. Equidem Ecclesiam in Conciliis congregatam esse infallibilem; non dispersam. R. hoc assumptum esse falsissimum, & aperte contradicere Christi promissionibus. Promisit enim Christus, se futurum cum Ecclesia omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi: Numquid omnibus diebus congregatur Concilia? Numquid Ecclesia dispersa non est vera Christi Ecclesia, quae desicere non potest? Quin imò Ecclesia, in Concilio congregata non est infallibilis, nisi quia representat universam Ecclesiam dispersam: ergo a fortiori haec est infallibilis. Adde, quod alius Christus non satis providisset suae Ecclesiae; donec enim congregaretur Concilium generale, quod quandoque non nisi post saecula potest congregari, grassarentur haereses, & totam Ecclesiam infocerent. Insuper plurima, & longe plures haereses fuerunt infallibiliter, & irreformabiliter damnatae per Ecclesiam dispersam, quam per congregatam in Conciliis. Unde Aug. l. 4. contra duas Ep. Pelagianorum c. 12. Pelagianis objicientibus, quod simpliciter Episcopis, sine congregatione Synodi, in locis suis *sedentibus extorta subscriptio est*; Respondet sic: *Aut vero congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur: quasi nulla haeresis aliquando, nisi Synodi congregatione damnata sit: cum potius rarissime inventiantur, propter quas damnandas necessitas talis existeret; multo idque sint atque incomparabiliter plures, quae ubi extiterunt, illic improbari, damnarique meruerunt, atque inde per ceteras terras devotande, immolescere potuerunt. Verum istorum superbia, quae tantum extollit adversus Deum, ut non in illo velit, sed potius in libero arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis, & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe Catholicum, quoniam, Domino eis resistente, periret nequeunt, saltem commovere conantur: cum potius vigilantia, & diligentia pastoralis, post factum de illis competentis sufficiensque judicium, ubicumque isti lupi apparuerint, conterendi sint. De isdem Pelagianis, postquam duobus Conciliis Provincialibus accesserat sententia Romani Pontificis, dicebat serm. 131. olim d. de verbis Apost. idem Aug. Jam enim de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam: inde enim rescripta venerunt: causa finita est; utriam aliquando finitur error.*

Dicunt 2. Ex silentio Episcoporum non potest certo erui eorum consensum tacitum alicui Constitutioni Pontificiae, aut ceterorum Episcoporum definitioni, cum possent esse variae aliae rationes silendi, v. gr. timor, cupiditas, ambitio, &c. ergo. R. 1. In casu non esse amplius questionem de consensu tacito, cum habeatur consensus expressus omnium fere Ecclesiarum. 2. N. Ant. Deus enim nunquam permittit, quod Episcopi circa falsum dogma publice fidelibus propositum, ex quovis motivo humano sileant: cum id vergeret in defectionem Ecclesiae, & in scissionem unitatis in fide, quae est hujus Ecclesiae vinculum.

lum. Unde Aug. Ep. 53. alias 119. c. 19. *Ecclesia Dei*, inquit, *ea, quae sunt contra fidem, vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit.* Dum ergo aliqua Constitutio Pontificia, aut plurium Episcoporum definitio, in rebus fidei, seu morum, per Ecclesiam diffunditur, qui silent Episcopi, censentur consentire. Nec alio modo, quam consensu tacito acceptatae fuerunt Constitutiones contra Baium, Jansenium, Molinos, Librum *Maximus des Saints*, & plures aliae Constitutiones circa propositiones damnatas. Nec refert, quod damnata sit haec propositio ab Alexandro VIII. 1665. *Si liber sit alicujus junioris, ac modernum, debet opinio censeri probabilis, dum non constat, relictam esse a Sede Apostolica, tanquam improbabilem.* Aliud enim est de opinione alicujus privati Auctoris, aliud de definitione publica Episcopis nota: hic periculum urget, non illic.

Instat: soli Episcopi Europae acceptarunt. Atunde id sciunt? Et esto: quid inde? Numquid Concilium Trid. (idem die de pluribus aliis) non est oecumenicum, quia illi non adfuerunt Episcopi Americae & Indiarum Orientalium? Numquid Constitutiones contra Baium, Jansenium, Molinos, &c. non sunt acceptatae ab Ecclesia, quia forte non fuerunt missae ad Indos, aut Americanos? Sufficit ergo acceptatio expressa Ecclesiae in ea parte mundi, in qua residet supremum ejus caput, & est major Episcoporum multitudo, quia inde potest alius innoscescere. Nec satis Christus previdisset suae Ecclesiae, si expectari deberet consensus illorum, qui in extremis mundi partibus morantur. Ita respondebat Aug. Juliano l. 1. contra Julianum c. 4. „An ideo, inquit, contentendos putas, quae Occidentales Ecclesiae sunt omnes, nec ullus est in eis commemoratus a nobis Orientis Episcopus?... Puto, eam partem Orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum, voluit Dominus gloriosissimo Martyrio coronare. Cui Ecclesiae praesidentem B. Innocentium si audire voluisses, jam tunc periculosum juvenentum tuam Pelagianis laqueis exuisses.“

Dicunt 3. Episcopi non acceptarunt liberam Constitutionem: quidam metu Inquisitionis, omnes metu excommunicationis late in non acceptantes. R. 1. Metum sive Inquisitionis, sive excommunicationis non aufert libertatem in acceptanda Constitutione, sicut metus poenarum inferni, aut suspendii, non aufert libertatem in observandis legibus sive divinis, sive humanis. 2. Christus promisit, quod porta inferi, id est, terrores, persecutiones, exilia, incarcerationes, securae, patibula, omnia tormenta diaboli non prevalerent adversus Ecclesiam: prevalerent autem, si metu Inquisitionis, aut excommunicationis Episcopi acceptarent falsam dogmata.

Instat. Salmem extra Galliam Episcopi acceptarunt Constitutionem ex motivo infallibilitatis Papae; atqui istud movitum est falsum: ergo acceptatio in eo fundata est illegitima & nulla. R. 1. N. Conseq. Quia infallibilitas Ecclesiae non ininitur motibus & rationibus, quibus Episcopi moveri possunt ad judicium ferendum in rebus fidei, sed assistentia Spiritus S. sibi promissa; qua stante, fieri non potest, quod Ecclesia aliquo principio decepta inducatur in errorem, alias porta inferi prevalerent adversus illam, & Christus non esset cum illa omnibus diebus. Sufficit ergo, quod Ecclesia definerit, quavis ratione inducta id fecerit; quia errare non potest definiendo. 2. Si valeret instantia, autent Bullae contra Baium, Jansenium, Molinos, & alia, imò nihil foret fixum in Ecclesia, neque ipsorum Conciliorum generalium decreta forent fidelibus regula fidei. Quot enim, & quam variae rationes & deliberationes singulorum, antequam deveniant ad definitionem? Si ergo lata definitio pendeat ex rationibus & motibus singulorum Episcoporum definitivum, necesse erit illa scrutari, an vera, vel falsa sint, ut definitio habeat vim legis & regulae. Hoc autem semel admissum condecit Ecclesia a fundamentis, & non habet amplius, ubi pedem certo figat. 3. In Concilio, quod petunt Appellantes, juxta instantiam, adesse non poterunt Episcopi extra Galliam; quia fere omnes imbuti sunt opinione infallibilitatis summi Pontificis, aut tenebuntur ingrediendo Concilium hanc suam sententiam exere, quod est absurdum. Aderunt ergo huic Concilio solus Pontifex & Episcopi Gallicani. Erunt Concilium generale? Fallor, nec Pontifex, nec Episcopi Gallicani adesse poterunt; sunt enim partes in lite, summus Pontifex, qui Constitutionem tulit, Episcopi Gallicani centum & decem, qui illam acceptarunt, quatuordecim, qui illam recusarunt; convocandi ergo erunt Americani, Asiani, Africani (si forte nihil audierunt de Bulla) & hi soli, sine capite sedentes constituent Concilium generale? Papae! quanta absurda! & quantis chymericis pasci amant Appellantes ad Concilium generale *Theol. Billuarz. Secunda Secunda.*

impossibile, & plane chymericum! Dicunt 4. Papa prohibet examinare suam Bullam: ergo Episcopi non acceptarunt, ut Judices. R. id nos non legere, neque in Bulla, neque in Litteris Pastoralis officii.

Instat. Salmem exigit omnimodam obedientiam Bulla: ergo non fuit licitum Episcopis illam examinare. R. N. Conseq. saltem si intelligatur de propositionibus contentis in Bulla; dirigitur enim Bulla ad fideles secundum cujusque conditionem: Episcopi autem sic sunt subditi Papae, ut sint etiam cum & sub illo Doctrinae Judices: Pontifex igitur ut superior exigit ab omnibus fidelibus, consequenter ab Episcopis, ut subditis, obedientiam suae Constitutioni, sicut Legislator in civilibus exigit obedientiam suae legi; ita ut Episcopi teneantur acceptare Constitutionem ut legem Pontificiam, non tamen ut legem Ecclesiae: nec prohibentur ut Judices Doctrinae, examinare, si non Bullam ipsam, saltem propositiones in ea damnatas, & si quid inveniant fidei minus consonum, illud reverenter exponere Pontifici; quod cum non fecerint, exceptis admodum paucis, lex Pontificia facta est lex Ecclesiae.

Nec refert, quod Papa nunquam revocet, quod semel pronuntiavit ex Cathedra; id enim signum est, quod nunquam docuerit ex Cathedra aliquid contra fidem, aut mores; non enim permitteret Spiritus S. qui semper adest Ecclesiae, quod Episcopi omnes acceptarent doctrinam fidei, aut moribus contrariam. Denique Bullae contra Baium, Jansenium, Molinos, & alia sub eodem tenore latae sunt, quod tamen non obstante, sic acceptatae sunt ab Ecclesia, ut sint modò leges Ecclesiae, & fidei regulae.

Porrò haec omnia & alia similia estugia elegantissime & solidissime vana & insufficientia ostendit Illustriss. D. Lanquet, Archiep. Senonensis, in sua 2. Institutione Pastoralis n. 19. his verbis, jam ab aliis antè me usurpatis, & sic latine redditus: „*Praetenditis* ergo (alloquitur Appellantes) Papam errasse in ista Bulla, eum subuisse Primum Praeceptum, primumque Symboli Articulum; Decreto sanctissimi Patris convulsa jacent Amor Dei ejusque potentia: Vobis assentior. Ecclesia Romana, quae non reclamavit, imò palam decretum illud suo suffragio confirmavit, in eorumdem errorum societatem vestri: annuo. Ecclesia Gallicana fere tota subscripsit: vi quidem ad id faciendum adacta fuit, si ita vobis placet, fecit tamen. Flandriae Episcopi praecipue suis opinionibus abrepti fuerunt; etenim ad eorum consensum debilitandum, nulla, quae illata fuerit, violentia allegari potest. Episcopi Hispaniae sunt In tolerabili errore de infallibilitate... hoc largior: sit etiam haeresis formalis, si desideretur. Veneti & Siculi Episcopi Pontificis auctoritati serviliter subjecti sunt, adversum eum nutire non audent. Episcopi Italiae, Hispaniae, Portugaliae &c. coguntur ab Inquisitione. Equid porrò est ista Inquisitio? An tribunal quoddam Mahometanorum, aut Hngnotorum? Omne illud, quod vobis collibitum fuerit, mihi quidem perinde est. Quid dicitur de Episcopis Germaniae, Poloniae, Bohemiae, & Hungariae, de Electoribus Imperii &c. Sunt aut ignorantes, aut politici; rem non examinarunt, aut si examinarunt, veritatem prodiderunt; & errori subscriperunt. Totum transmitto, totum ad momentum concedo. Concludamus: ergo Pontifex, & omnes illarum Nationum Episcopi, alii ignorantia, alii servientes temporis, fere omnes fragilitate, violentia, metu, praeventione (proh Deus! condona has blasphemias in Sponsam tuam, ejusque Angelos effusas) acieverunt Constitutioni, Fidem, mores, & disciplinam everterenti. Ubi igitur Ecclesia? Ubi est a quinque annis? Quod abijt ista infallibilitas, ista visibilitas, ista universalitas, quam in ministerio suorum Pastorum possidebat? Jam per ministerium, per ipsorummet Pastorum decisionem error triumphat. In quibus ergo subsistit illa Ecclesia? Subsistit in 14. Episcopis, nonnullis Presbyteris, in populo quodam reclamante, & hoc intra unius Regni terminos, & quidem ne vel centesimam Regni istius partem constituit populus ille, & Presbyteri isti... Tantum illi sunt fideles, discipuli veritatis, & defensores fidei. Ministerium ergo corruptum, annihilata est Ecclesia? Nam Ecclesia pendet a Ministerio, inquit D. Nicolle, & ejus duratio, juxta D. Bossuet, annexa est infallibilitati Pastorum. Illud corpus collapsum est, & Ecclesia cum illo. Vasti hujus corporis una tantum superest particula in quodam mundi angulo. En quò vobis necessario deveniendum est; alioquin deserenda vobis erunt omnia principia adversus praetensos Reformatores propugnata. Ad haec erubescitis, infremitis, consequentias illas detestabimini: sed exhortatis licet, eò vobis deveniendum est, aut, quod est obiectum desiderii mei, finem impostionis futilibus vestris objectionibus, ut recognoscatis in il-

illa concordia Patrum legem, quam sequi debetis.

Dicunt 5. Episcopi non sunt unanimes in sua acceptatione; alii acceptantur simpliciter, alii relative ad suas explicationes: ergo. R. omnes acceptasse simpliciter, nullo modo relative, relatione scilicet restringente Bullam ad suas explicationes: quasi sensus Bullæ foret erroneus, ac non posset habere alium sensum legitimum, quam sensum explicationum. Sed ad junxerunt explicationes suæ acceptationi tantum, ut prævenirent abusus Bullæ, qui fieri possint: acceptatio autem hoc sensu revelativa non impedit acceptationem simplicem. Sic acceptamus simpliciter Scripturam, eam tamen explicamus contra falsas hæreticorum interpretationes, & ad instructionem fidelium, non verò ut restringamus ejus sensum ad nostrum, quasi ipsius sensus foret falsus, aut non posset esse legitimus alius a nostro.

Dicunt 6. Constitutio damnat vago & indeterminato modo centum & unam propositiones respectivè ut falsas, erroneas, male sonantes, scandalosas, hæreticas &c.; atque hujusmodi Constitutio non potest esse regula fidei: ergo. Prob. Min. Fides debet habere objectum fixum; atque incertum nobis relinquatur, quæ propositio sit erronea, quæ scandalosa, quæ hæretica &c.: ergo. R. N. Min. Ad Prob. D. Min. Nobis incertum relinquatur, quæ propositio sit erronea, quæ hæretica &c. & hoc est objectum Constitutionis, N. Et non est objectum Constitutionis, C. Non ergo Constitutio obligat, ut credamus hanc, vel illam propositionem in particulari, vel scandalosam, vel hæreticam &c. sed ut credamus, nullam esse, super quam non cadat aliqua qualificatio, nec nullam esse qualificationem, quam non mereatur aliqua propositio: uno verbo, omnes has propositiones esse defectuosas, & nullam posse sustineri. Hoc autem objectum est fixum & determinatum. Sit paritas. Medicus expertissimus & fide dignus monet convivas, omnia fercula convivi esse venenata, non explicando qualitatem veneni, quod cuique ferculo competat, an sit frigidum, an calidum, an statim necans, an causans languorem &c. Objectum fidei humanæ in conviviis est, quod hæc fercula sint vitata & vitanda; & hoc sufficit, ut nullus de eis quicquam degustet, nec multum curabunt inquirere de qualitate venenorum. Similiter in nostro casu. Ecclesia non exigit, quod credam, aut dicam, hanc propositionem esse hæreticam, illam male sonantem, illam scandalosam &c. sed solum quod habeam omnes ut defectuosas, & jure damnatas, quarum nullam ideò possim sustinere. Insuper non aliter damnatæ sunt propositiones Wiclefi, & Jo. Hus in Concilio Constant. propositiones Baii, Libri *Maximes de Saintis*, & aliarum; quo non obstante Constitutiones adversus illas sunt ab Ecclesia acceptatæ, ut regulæ fidei.

Dicunt 7. posse contingere, quod major pars Episcoporum cum summo Pontifice, paucis admodum exceptis ex adverso reclamantibus, errorem definiat, ac pertinaciter defendat: ergo ex acceptatione Constitutionis a majori parte Episcoporum nihil potest extendi pro ejus infallibilitate. Prob. Ant. ex Concilio Ariminensi & Seleuciensi, ubi major pars Episcoporum hæresi Ariane subscripsit: ergo. R. N. Ant. quod est totius Religionis eversivum. Hoc enim semel admissum, Ecclesia non est amplius Catholica, ut patet, nec visibilis; cui enim parti credent fideles, si non majori auctoritati? Debeant discutere cujusque rationes, cujus tamen discussionis sunt ut plurimum incapaces, & suo privato Spiritui fidere, quod est basis hæreseos Lutheranae & Calvinisticae: & his hæreticis nobis fallibilitatem Ecclesie objicientibus, nihil quod respondeamus, habebimus. Unde Augustinus ex professione probat contra Donatistas, Ecclesiam apud eos non esse; quia, licet inter eos numerarentur trecenti Episcopi, hi tamen erant pauci comparativè ad ceteros, & concludebantur intra limites Africae. Insuper nullus hæreticus, nulla hæresis poterit unquam damnari; nulla enim est causa adeò perversa, quæ non inveniat aliquos Patronos. Ad Prob. In primis falsum est, Patres Seleucienses subscripsisse Ariasmo; nihil enim eo in Concilio ob sententiarum dissonantiam fuit definitum. 2. Falsum est, Patres Ariminenses subscripsisse hæresi Ariane: subscriperunt namque formale secundum se Catholica, sed qua, propter omissionem *Omissionem* ex fraude Ariatorum, hi abutebantur. 3. Falsum est, majorem partem Episcoporum totius Ecclesie huic perniciæ Ariane subscripsisse. 4. Tandem falsum est, Patres Ariminenses, quoad suam subscriptionem conjunctos fuisse summo Pontifici; Liberius enim Papa jam a biennio sibi redditus, & Romam redux, fidem Nicænam palam profitebatur, & propugnabat. Primum & quartum constant ex omnibus Historicis: Secundum &

terium probavimus in Tract. de Trinit. Digress. 3. ad Dissert. proem. illac recurrere. Observandum tantum est, quod, dum quidam Patres dicunt, tempore Conciliorum Ariminensis & Seleucienses omnes, paucis exceptis, temporè obsecundasse, & peste, seu perniciæ Ariane fuisse infectos, vel non loquantur de universa Ecclesia, sed de quibusdam Provinciis Arianis, in quibus maximè grassabatur hæc hæresis; vel intelligant, pestem Arianam pervasisse omnes Provincias, & ubique esse diffusam, non tamen infocisse omnes; vel loquantur hyperbolicè, & per exaggerationem propter multitudinem illorum, qui videbantur defecisse; vel tandem per hæresim, seu perniciam Arianam intelligebant formulam subdolanam; cui subscriperant Patres Ariminenses, quæ, licet esset in se Catholica, favebat tamen Arianis, qui ea abutebantur propter omissam vocem *Consubstantialis*. Vide locis cit. de Trinitate.

Instant. Non, quod tenet major pars Ecclesie, semper est verum, aut saltem de fide. Sic communis tenetur in Ecclesia Conceptio immaculata B. V. & tamen non est de fide: ergo. R. N. Ant. Non quod tenet major pars Ecclesie, semper est de fide, si non sit definitum, & sic Ecclesie propositum, C. Si sit definitum, & sic Ecclesie propositum, N. Unde patet disparitas.

Dicunt 8. Plures propositiones Quænellii isdem planè terminis leguntur in sanctis Patribus: ergo hi etiam sunt damandi. R. D. Ant. Plures propositiones isdem planè terminis, & eodem sensu leguntur in sanctis Patribus, N. Sensu diverso, C. Sensus enim alicujus propositionis eruitur, non ex solis verbis, quibus componitur, nudè spectatis, sed spectatis respectivè ad circumstantias, & conditionem Auctoris & temporis. Unde N. Conseq.

Dicunt 9. Summus Pontifex non declarat Appellantes hæreticos. R. eos declarasse ab Ecclesie communione separatos, quod valde est affine. Quod si aliud non expresserit Pontifex, id fecit ex prudenti œconomia, sperans fore, ut Appellantes lenitate potius quam severitate essent revocandi.

Instant. Galli diu recusarunt acceptare Concilium Nicænum II. in causa Imaginum, & Concilium Florentinum; atque tamen non habiti sunt pro hæreticis: ergo. R. Gallos convenisse in dogmate cum Concilio secundo Nicæno, nec illud recusasse nisi ex errore facti, quod putarent, ab eo decretum fuisse Imaginibus cultum Latræ, sicut Deo: illudque habebant pro Concilio Nationali Græcorum, & a summo Pontifice esse confirmatum ignorabant. Vide, quæ latius hæc de re dixi in Tract. de Incarnat. Dissert. 23. a. 3. §. 3. Obj. 2. Quantum ad Concilium Florentinum, neque Galli unquam illi obstitissent quoad definitionem fidei; de quo infra.

Dicunt 10. Pater Quænellus fuit damnatus inauditus. Itè, cur toties rogatus Pontifex noluit explicare suam Constitutionem? R. Ad 1. Non agebatur de persona Quænellii, quæ nec quidem fuit nominata; sed agebatur de ejus libro: liber autem est simul sui accusator, testis, & patronus, & ad eum probandum, vel damnamum sufficit legere, & sensum intelligere. Unde, quidquid dixisset Quænellus, fortè probasset, suam mentem & intentionem fuisse rectam, at non sensum obvium sui libri esse orthodoxum. Ad 2. Pontifex explicavit suam Bullam, dum in litteris *Pastoralis officii* declaravit, per eam non damari sententias in scholis Catholicis tradi solitas. Quibus non sufficit hæc explicatio, non sufficissent ampliores. Aliud non tam explicationem, quam revocationem petebant. *Stabat sacer Ordo, inquebat Facultas Theologica Parisiensis in instrumentum sue appellationis, pro sua in S. Sedem, & sanctissimum D. Clementem filiali observantia, ac reverentia, & sperabat fore, ut Sanctitas sua, tantis malis commota, prædictam tandem Constitutionem revocaret.* Itè vel explicationes fuisse conformes proprio sensui Bullæ, vel difformes: si prius, illas rejecissent ut ipsam Bullam, aut explicationem explicationum petissent, & sic sine fine. Si posterius, jactasset, Bullam indignis emendatione, & esse reformatam, novamque, priori probata, editam esse.

Pluribus supersedeo; quia morientibus Appellantibus, nec aliis, qui illos imitentur, insurgentibus, deservissent contentiones, ita ut minime committerent & absque ulla contradictione admittatur Constitutio ut lex dogmatica, seu ut dicit Benedictus XIII. in Concilio Romano, ut Regula fidei, non hoc sensu, quod contineat prima & præcipua elementa fidei, sicut Symbolum Apostolorum; sed quia fidelis debet juxta illam se gerere in his, quæ continent, & credere ea, quæ damnat, esse legitime damnata, sicut credit, dogmata Calviniana, a Trid. damnata, esse legitime

mè damnata. Qui tamen plura videre cupit, adeat Instructiones Pastorales Eminentiſſimi Cardinalis de Bissy, & illustriſſimi Archiep. Senonensis. Vindicavimus olim Scholam nostram a propositionibus Quænellianis in opere Gallico, cui titulus: *Le Thomisme vengé de sa prétendue condamnation par la Constitution Unigenitus*, Vide, si lubet.

ARTICULUS VIII.

Utrum Ecclesia sit infallibilis in Canonizatione Sanctorum?

Canonizatio est publicum Ecclesie testimonium de vera sanctitate & gloria alicujus hominis defuncti. Istud autem testimonium est per modum iudicii, quo homini Canonizato decernuntur honores, qui cum Deo regnabitur debentur, scilicet, quod inscribatur in Sanctorum Catalogo; quod in publicis Ecclesie precibus invocetur; quod in ejus memoria Deo Tempia erigantur, Sacrificium offeratur, Horæ Canonice recitentur, dies festi celebrentur, ejus Imago cum radiis, qui denotent ejus gloriam, depingatur, & ejus Reliquiæ publicè honorentur. In hoc differit Canonizatio a Beatificatione: 1. Quod Canonizatio sit ultima & definitiva Sententia de sanctitate & gloria alicujus, non verò Beatificatio; post eam enim requirunt adhuc novæ informationes, ut perveniant ad Canonizationem. 2. Beatificatio non tam est sententia, quam indulgentia, seu permissio, ut alicui deferatur cultus religiosus, non in tota Ecclesia, saltem regulariter, sed in aliqua Provincia, vel Religione. Unde Pontificis in Bullis Canonizationis dicunt: *Definimus, decernimus, mandamus, &c.* In Bullis verò Beatificationis, dicunt: *Indulgemus, concedimus, &c.*

Quamvis Canonizatio Sanctorum quoad modum, qui nunc servatur in Ecclesia, non semper fuerit in usu, fuit tamen semper quoad substantiam; ita quod nullus ut Sanctus coleretur sine prævia discussione & approbatione illius sanctitatis, ut constat ex Optato Milev. l. 1. contr. Parmen. ubi significat, illicitum fuisse venerari Reliquias alicujus hominis mortui, etsi martyris, sed nondum vindicati, id est, nondum approbati & recepti. Si autem sic pro Martyribus, a fortiori pro aliis Sanctis. Hæc verò discussio & approbatio, seu Canonizatio, fiebat ab Episcopo, vel Primate pro suis Ecclesiis tantum; sed cultus in eis institutus ex populorum devotione, accedent consensu tacito, vel expresso summi Pontificis, sæpè extendebatur ad alias Ecclesias.

Verum, cum in hoc quidam Episcopi aliquando modum excessissent, aut aliunde irrepissent abusus in cultu Sanctorum, ita ut quandoquæ impii in certis locis colerentur pro Sanctis, Alexander III. cap. *Andivimus* de Reliquiis & veneratione Sanctorum, jus canonizandi Sanctos, soli Sedi Apostolicæ reservavit; & ipse S. Bernardum & S. Th. Cantuariensem canonizavit.

Dico. Ecclesia est infallibilis in Canonizatione Sanctorum. Est communior & probabilior, videturque aperte esse D. Th. Quodlibeto 9. a. 16. Ibi querit S. Doctor, utrum omnes Sancti, qui sunt per Ecclesiam canonizati, sint in gloria, vel aliqui eorum sint in inferno? Et cum in corpore art. statuisset tanquam certum, quod iudicium Ecclesie universalis in his, quæ ad fidem pertinent, errare sit impossibile, addit: „In aliis verò Sententiis, quæ ad particularia facta pertinent, ut cum agitur de possessionibus, vel de criminibus, vel de hujusmodi, possibile est iudicium errare propter falsos testes: Canonizatio verò Sanctorum medium est inter hæc duo. Quia tamen honor, quem Sanctis exhibemus, quædam professio fidei est, quæ Sanctorum gloriam credimus, pie credendum est, quod nec etiam in his iudiciis Ecclesie errare possit. Ad 1. Summus Pontifex, cujus est canonizare Sanctos, potest certificari de statu alicujus. Præcipue per institutum Spiritus S. Et ad 2. Divina Providentia præservat Ecclesiam, ne in talibus per fallibile testimonium hominum fallatur.“ Cum ergo in his S. Doctor certitudinem iudicii Ecclesie repetat ex divina Providentia & instinctu Spiritus S. quem constat falli, aut fallere non posse; aperum est ipsum sentire, Ecclesiam absolutè esse infallibilem in Canonizatione Sanctorum. Cum autem dicit, *hoc esse pie credendum*, non vult significare aliter posse contingere, sed eam infallibilitatem Ecclesie in Canonizatione Sanctorum non esse ita certam, sicut certa est ejus infallibilitas in rebus fidei, de qua paulò ante locutus fuerat; hæc enim est certa certitudine fidei, non ita prima, saltem ut multis videtur. De quo infra.

Prob. 1. Ecclesia est infallibilis in communi Doctrina morum; atque Canonizatio Sanctorum videtur pertinere ad communem doctrinam morum: ergo. Prob. Min. Ecclesia canonizando aliquem obligat fideles, ut eum habeant pro Sancto, eumque ipsis proponit ut colendum & imitandum; atque hæc videntur spectare mores: ergo. Confirm. Ecclesia est sancta; atque, si proponeret colendum & imitandum impium & damnatum, eumque ut talem haberent fideles, id graviter derogaret sanctitati Ecclesie: ergo.

Prob. 2. Si Ecclesia falleretur in Canonizatione Sanctorum, id cederet in gravem ejus despectum & inhonorationem; eam enim irriderent Dæmones, dum viderent, quos damnationis socios habent, a fidelibus coli & invocari tanquam Dei amicos, & ejus gloriæ consortes; atque non est verisimile, Deum in similibus suam Ecclesiam desereret: ergo. Quod hic dicimus de Canonizatione, videtur dicendum, licet non eadem certitudine, de Beatificatione; quia, licet Ecclesia in Beatificatione non definita ultimè, concedit tamen & approbat cultum hujus, vel illius; in qua concessione & approbatione si erraret, sua infallibilitati in Doctrina morum, suæ sanctitati & suo honori derogaret eodem fere modo, quo dictum est de Canonizatione.

Dices 1. Nullus potest esse ita certus de statu alicujus, sicut ipsemet de se; quia, *quæ sunt hominis, nemo novit nisi spiritus hominis, qui in ipso est*, 1. Cor. 2. Atque nullus potest esse certus de seipso, an sit in statu salutis; *Nemo enim scit, utrum sit dignus odio, vel amore*, Ecclesie. 9. ergo. R. D. Maj. (Quodlib. 9. a. 16. ad 1.) Nullus potest esse ita certus, &c. seclusa assistentia Spiritus sancti, C. Ea supposita, N. Dicendum itaque, quod summus Pontifex, cujus est canonizare Sanctos, potest certificari de statu alicujus, non solum per inquisitionem vitæ & attestationem miraculorum, sed præcipue per institutum Spiritus S. qui omnia scrutatur, etiam profunda Dei.

Inst. Ecclesia in Canonizatione Sanctorum innititur testimonio humano, quod est fallibile: ergo. R. D. Ant. (Ibid. ad 2.) Innititur testimonio humano tantum, N. Itè & præcipue divinæ Providentiæ, quæ præservat Ecclesiam, ne in talibus fallatur, C.

Dices 2. Multi honorantur ut Sancti, qui non sunt: ergo. Prob. Ant. Severus Sulpitius in vita S. Martini narrat, latronem pro Sancto honorari. Alexander III. cit. refert, hominem in ebrietate occisum pro Sancto coli. In Martyrologio Usuardi recensentur inter Sanctos Eusebius Cæsariensis, quem constat fuisse Ariantum, uno Ariatorum Principem, juxta Hieron. l. 2. adversus Rufin. c. 14. Item opponuntur hæc verba Aug. *Multa corpora honorantur in terra, quorum anima torquentur in gehenna*: ergo. R. D. Ant. Multi honorantur ut Sancti ab aliqua particulari Ecclesia, qui non sunt, C. Ab universa Ecclesia, N. Et sic intelligenda sunt, quæ proponuntur in objectione. Adde, quod verba, quæ citantur ex Aug. juxta Syllivianum eo non reperiantur: possent insuper intelligi de cultu civili, ut de magnificis sepulchris, de orationibus funebribus, & similibus.

Inst. Martyrologia proponuntur toti Ecclesie: ergo. R. D. Ant. Martyrologia proponuntur toti Ecclesie, ut omnes, quos referunt, colantur ut sancti a tota Ecclesia, N. Ut noscantur, qui in certis locis colantur, C. Unde Ecclesia aliquando emendat Martyrologia.

Dices 3. Nullum est inconveniens, quod aliquis non Sanctus, qui creditur Sanctus, colatur ut Sanctus: ergo. Prob. Ant. Cultus alicujus Sancti, cum sit actus virtutis practicæ, nempe Religionis, regulari debet iudicio practico, et si non speculative, vero; atque ad veritatem iudicii practici sufficit, quod attentis circumstantiis prudenter iudicetur, hunc esse Sanctum, licet revera non sit. Paritas est in hostia non consecrata, quæ cum prudenter iudicatur consecrata, adoratur ut talis: ergo. R. N. Ant. Ad Prob. D. Maj. Cultus alicujus Sancti debet regulari iudicio practico vero, supposito iudicio Ecclesie speculative, C. Eo secluso, N. Ideò enim fidelis iudicat practico, aliquem esse colendum, quia iudicavit Ecclesia hunc esse Sanctum: est autem grave inconveniens, quod Ecclesia erret in tali iudicio, quod spectat omnes fideles; id enim repugnat, ut probatum est, ejus infallibilitati in doctrina morum, ejus sanctitati & honori. Et hinc patet disparitas: Ecclesia enim non iudicat, hanc hostiam esse consecratam. Altera disparitas est, quod Christus adoretur sub speciebus; quod si non sit, ut creditur, sub illis, subsistit tamen & est verum objectum adora-

tionis; at, si colatur Sanctus, qui non est, non erit obiectum cultus, sed potius execrationis. Si dicas, Deum etiam coli in Sanctis: ita est, sed etiam Sancti coluntur & invocantur.

Instr. 1. Ecclesia potest errare in proponendis Reliquiis absque gravi inconvenienti: ergo in proponendis Sanctis. R. N. Conseq. Disparitas est, quod Sanctus sit obiectum directum cultus, cultus autem Reliquiarum directè fertur in Sanctum, qui sit reverè Sanctus.

Instr. 2. Sic Ecclesia proponit aliquam ut Sanctam, si cetera proponit illam ut Virginem; atqui errare potest in qualitate Virginitatis: ergo. R. 1. D. Maj. Sic Ecclesia proponit aliquam ut Sanctam, sicut proponit illam ut Virginem, si ita exprimat, C. Secus, N. Non autem ita exprimit Ecclesia, nisi specialibus miraculis constet de Virginitate; sed communiter proponitur ut Sancta. Verum est quidem, quod, si non constet, non fuisse Virginem, assumatur Officium de Virgine, quia præsuntur Virgo: quod si ita non sit iste error non est tanti momenti, nec majus est inconveniens, quod aliquid indebitum tribuatur alicui vere Sanctæ, quam quod subtrahatur ei debitum, legendo Officium de vidua. 2. Omissis præmissis N. Conseq. Quia longè majus est inconveniens pro tota Ecclesia, quod, quæ non est Sancta, proponatur ut Sancta, quam quod, quæ non est Virgo, proponatur ut Virgo, modo sit reverè Sancta; subsistit enim tunc verum obiectum cultus.

Dico 2. Non videtur esse de fide, quod Ecclesia sit infallibilis in Canonizatione Sanctorum, consequenter neque quod ab Ecclesia canonizatus sit Sanctus & Beatus. Prob. 1. pars 1. Ex Autore, (Ibid. o.) qui iudicium Ecclesiæ in Canonizatione Sanctorum ponit medium inter iudicium Ecclesiæ de rebus fidei & iudicium de factis particularibus; & dicit, non quod sit de fide; sed sit *Piè credendum, quod in his iudiciis Ecclesiæ errare non possit.* 2. Quamvis sit fide certum, Ecclesiam esse infallibilem in communi Doctrina morum, non est tamè eadem fide certum, Canonizationem Sanctorum pertinere ad communem Doctrinam morum, neque id omnes concedunt: ergo. 3. Nulla extat Ecclesiæ definitio de sua infallibilitate ut hdei divinæ in Canonizatione Sanctorum, neque id ex ejus praxi colligi potest.

Hinc sequitur 2. pars; si enim non sit de fide, quod Ecclesia sit infallibilis canonizando aliquem: ergo a fortiori neque quod iste canonizatus sit Sanctus, cum aliunde id non sit revelatum neque immediate, ut per se patet, neque mediè in ipsa infallibilitate Ecclesiæ; cum, ut dictum est, non sit certa de fide.

Dices. S. Th. citatus dicit, quod *Honor, quem Sanctis exhibemus, sit quodam professio fidei, qua Sanctorum gloriam credimus; atqui fides, qua credimus gloriam Sanctorum, est divina: ergo fides, qua credo hunc Sanctum, & illi exhibeo honorem, est divina.* R. N. Conseq. Ex hoc enim quod fides de gloria Sanctorum in communi, quam protestor exhibendo illis honorem, sit divina, quia gloria Sanctorum in communi est revelata, non sequitur, quod fides de isto particulari Canonizato, quam protestor exhibendo illi honorem, sit divina, quia non est revelatum, quod is sit Sanctus. Itaque credimus infallibilitatem Ecclesiæ in Canonizatione Sanctorum? & hunc, quem canonizat, esse Sanctum & Beatum, non fide divina, neque purè humana & fallibili, sed fide Ecclesiastica infallibili, fundata in assistentia Spiritus S.

Neque dicas, hanc assistentiam Spiritus S. esse ipsam revelationem; aliud enim est assistere alicui, ne erret loquendo, aliud revelare illi, quid loquatur: patet in definitionibus Conciliorum, quibus assistit Spiritus S. ne errent definiendo, & tamèn non ipsis revelat suas definitiones: alioquin Patres forent Scriptores sacri, & definitiones eorum forent Scriptura sacra & verbum Dei, ut jam alibi observavimus.

Hinc inferes, quod, qui negaret aliquem ab Ecclesia canonizatum esse Sanctum & in gloria, non esset hæreticus; sed esset 1. temerarius, quia contradiceret communi Ecclesiæ sensui in re tunc datissima, & cujus oppositum non habet idoneum fundamentum: *Insolentissima est insanie*, inquit Aug. Epist. 118. *disputare, an sit faciendum, quod tota Ecclesia facit.* 2. Esset scandalosus, quia retraheret fideles a cultu Sanctorum. 3. Impius, quia faceret injuriam Ecclesiæ, & ipsis Sanctis. 4. Saperet hæresim sectariorum, qui irrident Canonizationes, quas facit Ecclesia, & negant cultum, ac invocationem Sanctorum.

DISSERTATIO IV.

DE SUMMO PONTIFICE.

ARTICULUS I.

De Primatu Sancti Petri.

Suppono 1. Christum ascendentem in cælum non abdicasse omnem potestatem, quæ sibi data est in cælo & in terra, sique remanere caput Ecclesiæ principale; est enim Sacerdos in æternum, semper vivens ad interpellandum pro nobis, influens in nos chrisinata gratiarum, & potens per semetipsum salvare accedentes ad Deum. Unde non habet in terris Successorem. Successor enim est, qui sic succedit in locum alterius, ut iste alter non habeat amplius auctoritatem, quam prius habet. Suppono 2. Christum, subtrahendo fidelibus suam præsentiam corporalem, non sic sibi suam potestatem retinisse, ut Vicarium sui visibilem in terris pro regimine Ecclesiæ non reliquerit: Ecclesia enim, cum sit corpus visibile, indiget Rectore, qui in casibus emergentibus videri, adiri, & audiri possit. Quæritur itaque, quem Christus instituit sui Vicarium & caput totius Ecclesiæ, cum potestate illam regendi? An unum Petrum? An omnes ex æquo Apostolos? Hoc ultimum præterdunt Novatores ex odio in Romanam Ecclesiam: cum enim Pontifex Romanus non habeat aliam jurisdictionem, quam eam, quam habuit Petrus, cujus est Successor, si Petrus nullam habuerit in Apostolos, & ex æquo cum illis sit Ecclesiæ Præfectus; ita Romanus Pontifex non habet prius jurisdictionis in totam Ecclesiam, sed cum Episcopis, inter quos est, sicut prius inter pares. Circa medium sæculi præteriti prodierunt duo libelli conloquentes Paulum Petrum in regimine Ecclesiæ & constituentes duo capita, quæ coalescerent in unum. Hos confixit Innocent. X. 24. Januar. 1647. Igitur contra hos omnes

Dico: Petrus, isque solus est institutus a Christo caput visibile totius Ecclesiæ: sive soli Petro concessus est a Chris-

to Primatus, non solum honoris & dignitatis, sed potestatis & jurisdictionis in Apostolos & universam Ecclesiam. Prob. 1. ex duplici loco Scripturæ. Primus est Matth. 16. ubi Christus Petro, præ cæteris Apostolis consentienti quod esset Filius Dei, exemplo vices & præmium Confessionis respondens, dicit ipsi: *Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Et ego dico tibi: quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalent adversus eam. Et tibi dabo claves Regni cælorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Quibus verbis, sensu obvio acceptis, significatur, primatum jurisdictionis in Ecclesiam conferri Petro sub duplici metaphora, scilicet, fundamenti & clavium; quod enim est in ædificio fundamentum, hoc est in corpore caput, in civitate Rector, Rex in Regno, Paterfamilias in domo; & cui traduntur claves, ipse instituitur Rex, seu Governator civitatis. Subsumo: atqui hæc verba nulli alteri ex Apostolis, quam Petro convenire possunt: ergo. Prob. Min. Nullus præter Petrum confessus fuerat divinitatem Christi, nullus præter ipsum poterat dici *Simon Barjona*, seu filius Jonæ, nullus præter ipsum vocatus est *Cephas*, quod interpretatur Saxum, Petra, seu Rupes: non enim dixit Christus, ut habet versio Latina: *Tu es Petrus*; sed syriacè loquens, *Tu es Cephas*, hoc est, tu es Saxum, seu Petra; & super hoc Saxum, seu hanc Petram, ubi pronomen *hanc* manifestè indicat Petram, de qua prius facta est mentio, quasi diceret: *Tu es Petra*, super quam ædificabo Ecclesiam meam: idè autem latinus Interpres vertit, *Tu es Petrus*, & non, *Tu es Petra*, quia secutus est Codicem Græcum, qui habet *Petros*: græcè verò tam *Petros* quam *Petra* significat lapidem, & visum est Interpreti latino convenientius homini tribuere nomen masculinum *Petrus*, quam fœmineum *Petra*. Ergo his verbis soli Petro con-

concessus est Primatus jurisdictionis in totam Ecclesiam.

Ita etiam hunc locum interpretantur omnes fere Patres, Origenes hom. 5. in Exod. Tertull. de præscript. c. 21. Basilus ad c. 2. Isaie, Nazianzenus orat. 21. Chrysost. hom. 2. de penit. in Ps. 50. Cyrillus Alexandr. l. 2. Joann. c. 12. Epiphanius heresi 59. Cypr. Ep. 40. 57. & 71. Hieron. adversus Pelagian. c. 4. Hilarius c. 29. in Matth. Denique Aug. quem opponunt Sectarii in Ps. 69. *Petrus*, inquit, qui paulò antè eum confessus erat Filium Dei, & in illa Confessione appellatus erat Petra, super quam fabricaretur Ecclesia, &c. Et serm. 29. de Sanctis: Solus inter Apostolos meruit audire: Amen dico tibi, quia tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: Dignus certe, qui ædificandis in domo Dei populis lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clavus ad Regnum. *Confiter*, quæ dicam in solutione primi argumenti.

Alter locus Evangelii Joann. 21. ubi Christus, quod promiserat Petro Matth. 16. cit. propter excellentem divinitatis confessionem, de facto confert post trinam singularis amoris confessionem: *Simon Joannis diligis me plus hiis? Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Constat 1. hæc verba ut antè, non posse alteri convenire, quam Petro: designatur enim nomine proprio & patris, *Simon Joannis*: tunc ipsum interrogat Christus, ut trina confessio responderet trine negationi: ipsum interrogando excludit cæteros dicens: *Diligis me plus hiis?* idè quæ ipse Petrus proprio & non aliorum nomine respondit: *Tu scis Domine, quia amo te;* cum aliunde scire non posset, an alii ipsum diligerent. Constat 2. universalem Ecclesiam regendam esse ipsi commissam: non enim committit illi has, aut illas oves, seu agnos, sed indefinitè *oves meas, agnos meos*: omnes autem fideles sunt oves Christi, vel agni; per agnos significatur populus, per oves Pastores. Unde Bernard. l. 2. de consider. c. 8. *Cui*, inquit, non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolute & indiscriminate totæ commissæ sunt oves? Si me amas, Petre, pasce oves meas. Quas? Illius vel illius populus civitatis aut Regni? Oves meas, inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil. *Et Eucherius Lugdunensis, vel alter antiquus Episcopus Gallicanus Serm. de Natali Apost. Petri & Pauli: Prius*, inquit, agnos, deinde oves commisit ei; quia non solum Pastorem, sed Pastorum Pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit & oves, pascit filios, pascit & Matres, regit & Subditos & Prælatos; omnium igitur Pastor est, quia præter agnos & oves in Ecclesia nihil est. 3. Constat, his verbis Petro summam potestatem in omnem Ecclesiam esse collatam, quia ad officium Pastoris pertinet non solum gregi cibum præbere, sed ipsum ducere, reducere, tueri, tegere, corrigere, &c. *Pasce oves*, inquit Auctor in Cætena, *est credentes in Christo, ne a fide deficient, confortare: terrena subsidia, si necesse est, subditis providere, & exemplari virtutum eum verbo prædicationis impendere, adversariis insistere, errantes subditos corrigere;* atque ita hunc locum exponunt communiter SS. Patres; præter jam citatos, Origenes in c. 6. Ep. Rom. Ambros. l. 10. in Lucam ad c. 24. Gregorius Magnus l. 4. Ep. 32. &c.

Prob. 2. Traditione, quam testantur Patres laudati & Concilium Chalcedonense Act. 3. ubi dicitur de S. Petro: *Qui est petra & crepida Catholice Ecclesiæ, & rectæ fidei fundamentum.* Patebit adhuc amplius ex dicendis art. seq. Prob. 3. ex prerogativis Petro concessis. 1. Ex nominis mutatione; cum enim antea vocaretur Simon, jussit Christus, ut vocaretur *Cephas*, id est, saxum, petra, vel rupes, super quam fundaret Ecclesiam. 2. Ex eo quod regulariter in Scriptura Matth. 10. Marc. 3. Luc. 6. Act. 1. primus inter Apostolos recenseatur, non ratione vocationis, aut ætatis; Andreas enim ejus frater fuit prius vocatus; & secundum Epiphani. heresi 51. erat natu major: ergo ratione auctoritatis & primatus. 3. Ex eo quod Scriptura loquatur de Petro, ut de capite; sic Marci 1. *Simon & qui cum illo erant.* Lucæ 8. & 9. *dixit Petrus, & qui cum illo erant.* Act. 2. *Petrus & undecim.* Ibid. 5. *Petrus & Apostoli.* 4. Primum Concilium in electione S. Matthei convocavit Act. 1. In illo Concilio, de observatione Legalium, primus sententiam dixit.

Prob. 4. Ratione Theologica. (4. *Contr. Gent. c. 76.*) Christus in Ecclesia instituit regimen Monarchicum, in quo unus extat supremus Princeps, qui plena auctoritate rerum summam administrat: ergo non instituit ex æquo omnes Apostolos totius Ecclesiæ Principes & Rectores, sed unum dumtaxat inter illos. Quis autem iste unus, nisi Petrus, ut ex dictis patet, nec alium assignans Hæretici.

Prob. multipliciter Ant. 1. Ecclesia Daniel 2. comparatur Regno. Cantic. 6. Exercitui ordinato 1. Petr. 3. Navi, Joann. 10. Ovili; atqui hæc omnia ab uno supremo moderatore gubernantur: ergo. 2. (Ibid.) Nulli dubium esse debet, quin Ecclesiæ regimen sit optimè ordinatum, ut potè per eum dispositum, *Per quem Reges regnant, & legum conditores justa decernunt* Prov. 8.; atqui optimum regimen multitudinis est, ut regatur per unum: ergo. Prob. Min. Ex fine regiminis, qui est pax & unitas subditorum; atqui unius est congruentior causa unitatis & concordie, quam multi; quia unum est per se causa unitatis, multa autem tantum per accidens, quatenus aliquo modo uniantur; manifestum est enim, quod plures non possunt unire & concordare, nisi ipsimet aliquo modo conveniant & uniantur: ergo. 3. (Ibid.) Quamvis Populi distinguantur per diversas Dioceses & Civitates, tamèn, sicut Ecclesia est una, ita oportet esse unum Populum Christianum. Sicut ergo in uno populo speciali unius Ecclesiæ requiritur unus Episcopus, qui sit totius Populi caput, ita in toto populo Christiano requiritur, quod unus sit totius Ecclesiæ caput. 4. (Ibid.) Ad unitatem Ecclesiæ requiritur, quod omnes fideles in fide conveniant; atqui contingit, oriri difficultates circa ea, quæ sunt fidei; per diversitatem autem sententiarum, quæ a diversis oriri possunt, divideretur Ecclesia, nisi per unius sententiam in unitate conservaretur: ergo requiritur ad unitatem Ecclesiæ conservandam, quod sit unus, qui toti Ecclesiæ præsit. 5. (Ibid.) Ecclesia militans est triumphantem derivatur per similitudinem: unde Joannes Apocal. 21. *Vidi Jerusalem descendentem de cælo*; atqui in Ecclesia triumphantem unus præsidet omnibus, qui etiam in toto universo præsidet, scilicet Deus: ergo.

Si quis dicat, in Ecclesia esse unum caput, scilicet Christum. (Ibid.) R. id non sufficere; quia, licet Christus semper Sacramenta ministret & perficiat, juxta illud Joann. 1. *Hic est, qui baptizat*; cum tamèn suam præsentiam corporaliter visibilem subtrahatur esset, constituit Ministros, qui Sacramenta visibilibus ministrarent: ergo similiter oportet, quod aliquem constitueret, qui loco sui universalis Ecclesiæ curam gereret.

Si reponat: Ad perfectionem regiminis politici non est necesse, quod in universo sit tantum unus Monarcha; ergo similiter in regimine spiritali totius Ecclesiæ. Itam Deus non præficit ab initio Regem populo suo Israelitico: ergo. R. Ad 1. Disparitas est, quod non sit necesse, in universo esse unum tantum regnum: Ecclesia verò in universo diffusa est unum regnum, quod idè regi debet per unum. 2. Non est necesse, quod totus orbis iisdem legibus regatur. At tota Ecclesia debet idem credere, iisdem Sacramentis uti, & eadem Christi præcepta servare; quæ omnia fieri non possunt, nisi sit unum Ecclesiæ caput. Ad 2. (1. 2. q. 10. a. 1. ad 2.) Quamvis regnum sit optimum regimen populi, si non corrumpatur; quia tamèn propter magnam potestatem, quæ Regi conceditur, de facili degenerat in Tyrannidem, nisi perfecta sit virtus ejus, cui talis potestas conceditur: Judæi autem crudeles erant, & in avaritiâ proni, per quæ vitia maxime homines in Tyrannidem decidunt; idè Deus a principio Israelitis Regem non instituit cum plena potestate, sed Judicem & Governatorem in eorum custodiam.

Verum, (Ibid.) quia ad bonitatem regiminis confert, quod populi illud amant, quia sic facilius servatur pax; illud autem amant, cum in eo habent aliquam partem, ut in Aristocratia & Democratia; idè potest dici, quod regimen Ecclesiæ monarchicum sit aliquo sensu temperatum ex Aristocratia & Democratia; quatenus sub supremo capite plures optimates principantur, ut Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi: Democratia quatenus hujusmodi Principes possunt eligi omnibus: & sic omnes aliquam partem habent in Ecclesiæ regimine.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Ex c. 16. Matth. laudato nihil erui potest pro Primatu S. Petri: ergo. Prob. Ant. 1. Quia per has particulas, *Et super hanc petram*, non intelligitur S. Petrus, sed Christus ipse, juxta illud 1. Cor. 10. *Petra autem erat Christus*, & illud ibid. c. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus*; & juxta Aug. qui Tract. ult. in Joann. dicit: *Super hanc petram, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam*; & serm. 13. de verbis Domini: *Tu es ergo Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam: super me ædificabo te, non me super te*: ergo. Prob. 2. idem Ant. Esto, hæc verba ad Petrum aliquo modo referri, non tamèn ad eum